

António Guimarães Pinto

# HUMANISMO E CONTROVÉRSIA RELIGIOSA LUSITANOS E ANGLICANOS

III

AMPLISSIMI  
ATQVE DOCTISSIMI VIRI D.

HIERONYMI SORII, EPISCOPI  
SYLVENSIS, IN GVALTERVM

HADDONVM MAGISTRVM

LIBELLORVM SVPPPLICVM

apud clarissimam

Principe Heli

sabetham

Angliæ, Franciæ, & Hiberniæ Reginam.

libri tres.

20

Olisipone excudebat Franciscus Correa

Regius Typographus. Anno incarnationis

Dominicæ. 1567.

Nonis Octob.

✠

SERENISSIMAE ELISABETAE, ANGLIAE, FRANCIAE, HIBERNIAE REGINAE, HIERONYMVS OSORIVS S. P. D.

1. Eram equidem, Clarissima Princeps, in studium Tuae Maiestatis et Amplitudinis antea satis incitatus, cum accepissem quantum ualeres ingenio et quantos progressus in litteris Graecis et Latinis haberes et quomodo regiam dignitatem cum eruditione liberali coniungeres. Postea uero quam ad me homines quidam detulerunt a te scripta mea libenter legi, tanta facta est ad hoc meum erga te studium accessio, quantam uerbis explicare non possum.

Vtrum id uere mihi dixerint, an a me falsam gratiam inire uoluerint, incertus sum: hoc unum scio, me ex eorum sermone magnam uoluptatem percepisse et consilium iniuisse quomodo tibi per litteras animum in te meum plenissimum pietatis et obseruantiae declararem. Nec enim dubito quin eadem humanitate qua opuscula mea lectitas, si uerum est te eorum lectione non [138] mediocriter oblectari, sis has litteras meas accepturas, maxime cum illa ad communem utilitatem conferantur, hae uero litterae praecipuum status tui praesidium et amplissimae dignitatis ornamentum respiciant. Quamuis autem id praestare nequeam, haec tamen uoluntas mea non ingrata tibi debet esse. Solent enim magni principes, non tam muneris oblatis dignitatem expendere, quam offerentis animum atque fidem ponderare. Cum enim maximum regiae dignitatis praesidium et ornamentum sit in hominum beneuolentiae atque fidelitate constitutum, quomodo potest id illis iniucundum et ingratum accidere, quod intellegunt esse ex egregia uoluntate atque singulare fide profectum?

2. Vt autem hinc initium scribendi faciam, soleo mecum saepenumero Dei prouidentiam in regibus admirari, quod infinitae prope hominum multitudini, ex tam diuersis et ualde inter se repugnantibus naturis conflatae, eam mentem iniecerit ut uellet unum praecipue hominem intueri, unius imperio contineri, unius institutis et legibus alligari, usque adeo ut, cum homines de reliquis

rebus acerbo odio saepe dimicent effrenataque mente dissentiant, in hac una plerumque re summa secum animorum consensione conspirent.

Cum autem hoc ualde admiror, tum eos reges qui hoc tam praeclarum atque difficile munus, ex uoluntate illius summi atque sempiterni Regis, administrant, homines omni uirtute praestantes atque plane diuinos existimo. Nihil est maius et amplius, nihil magis arduum atque difficile, quam frenare hominum cupiditates, resecaere libidines, tueri innocentiam, uirtutem praemiis allicere, flagitia poenis et suppliciiis coercere, et uniuersam denique rempublicam pace et otio constituto florentem omnibusque bonis adfluentem efficere. Haec cum nemo nisi sit diuina mente praeditus praestare ualeat, illi profecto qui pro dignitate regio munere et officio funguntur, in caelitum numero reponendi sunt et quasi quidam dii inter homines reputandi.

Quod si uiri excellentes, cum omnem mentem in publica salute defigunt et regnum recte, sapienter atque moderate gubernant, inuictoque animo omnia quae sunt reipublicae perniciose repellunt, maximae admirationi sunt, profecto cum mulier idem praestiterit multo maiorem admirationem commouebit. Quid enim admirabilius quam in femina uirilem constantiam, in uirgine senilem prudentiam, in summa opum adfluentia summam modestiae laudem eminere? Quid magis obstupendum quam mollem et delicatam mulieris naturam tantis esse uirtutibus ornatam et instructam, ut totum regni pondus sustineat, in eoque munere summa cum laude uersetur quod uix multorum hominum excellentium consilio, uirtute, fide, auctoritate conficitur? Quare si, quemadmodum sperandum est, ita rempublicam temperaueris, ut minime a maiorum tuorum, qui pietatem unice coluerunt, uirtute degeneres, tanto illis omnibus magnitudine laudis antecelles, quanto maius est imperium a femina iuuenae, quam a uiris aetate et exercitatione robustis sapienter atque fortiter administrari.

Quod si unquam mulier aliqua uirtute praecellens se maximo animo ad studium publicae salutis adiunxit et ex ea curatione atque munere maximam laudem consecuta fuit, in ea tempora imperium tuum incidit eamque materiam nacta es, ut, si eas actiones quae indole ista regia quae in te elucet dignissimae sunt uelis animo constanti suscipere, sis omnibus reginarum maximarum uirtutibus obscuritatem amplitudine praestantissimae laudis atque dignitatis allatura. Hoc autem ut possimus de te uniuersae reipublicae christianae polliceri, multa faciunt. Es enim singulari ingenio

praedita et magnarum artium disciplinis erudita, laudibus mansuetudinis et lenitatis, quae cum istius formae uenustate consentiunt, excellis, nec eas laudes quae ex constantiae magnitudine oriuntur tibi repudiandas existimas.

Si igitur tibi deesse nolueris, optime rempublicam constitues finemque omnibus malis quae illam perturbant impones et immortalem gloriam consequeris. Contra uero, si quid in tantis tempestatibus atque procellis offenderis et gubernacula parum scienter tractaueris, periculum est (quod omen Christus auertat) ne reipublicae istius nauis ad caecos scopulos allisa frangatur, et diram cladem tibi commissi uectores accipiant.

[142] Cum igitur in eo statu sis, ut tibi necessario uel summa gloria cum totius Regni salute comparanda, uel insignis infamia cum maxima reipublicae peste subeunda sit, opinor nullas tibi opes aut facultates tibi esse, ut eas cum fideli consilio quod quidem ad stabiliendum Regnum pertineat conferendas arbitreris.

Sed inquires fortasse: «Adeone tibi ab amicis et consiliariis inops esse uideor, ut uelis modo mihi consilium dare? aut tantum otium tibi a Lusitaniae negotiis est, ut Britanniae curam suscipias?»

Arbitror quidem esse in Britannia multos sapientes homines et singulari uirtutis atque pietatis laude florentes; quibus si aures praeberis, et tibi et Regno tuo praeclare consules regiumque decus et dignitatem egregie sustinebis. Sed quemadmodum qui rei augendae uehementer intenti sunt, quamuis diuitias ingentes domi congestas habeant, non tamen aurum et argentum aliunde importatum repudiant, et quo ditiores sunt, eo maioribus accessionibus opes suas augeri et cumulari desiderant, ita sapientes reges quorum gaza magis est in bonorum prudentia atque fide quam in maximo auri pondere collocanda, quamuis consiliis abundant, nullo tamen modo, si qua fiat ad eas diuitias quas ipsi omnibus aliis anteponunt accessio, id aspernari debent; nec est illis magnopere curandum sit ne ciuis an externus is qui consilium dat, sed quo animo ad hoc officium accedat.

Praeterea consilia ab externis data minus plerumque suspecta sunt. Multae namque insidiae principibus a suis domesticis intenduntur; multae fraudes in aula regia quaestus et compendii gratia suscipiuntur; multa partim adulatione et perfidia, partim offensionis periculosa formidine dissimulantur; ita ut raro inueniantur qui regibus libere loqui audeant.

[144] Accedit postremo quod nullum christianum principem externum et alienum puto, sed omnibus obstrictum me esse profiteor, maxime uero tibi, quam in primis mihi propter spem

quam de tua benignitate concepi unice colendam et obseruandam proposui.

Vt autem ad id quod suscepi tandem aggrediar, duo in primis omnibus regibus consideranda sunt, et suscepti muneris amplitudo et illius gerendi difficultas.

Amplitudo enim tanta est, ut uix ulla maior in uita cogitari possit. Sunt enim reges omnes pro parte sua iuris diuini uicarii. Diuinum siquidem est tantum unum inter omnes excellere, ut omnes summa consensione se illi regendos atque tuendos committant, et in illius prudentia, uirtute, bonitate, existiment esse sibi firmissima uitae salutis atque dignitatis praesidia constituta.

Difficultas porro quanta sit, explicari non potest. Si enim difficile admodum cuilibet est tenere omnes cupiditates, coercere libidines, animi motus ratione comprimere totiusque mentis statum recte moderari, ne quid insurgat quod animum impetu turbulento concutiat, quantum tandem erit non suas tantum cupiditates, sed totius populi libidines ita comprimere, ut nullus ex earum immoderatione tumultus oriatur quod reipublicae statum labefactet? Is igitur cui est tantum munus impositum, ut primum quidem se contineat (nec enim fieri potest ut aliorum libidines frangat qui suas primum non cohibet), deinde reipublicae uniuersae motus ita ratione temperet, ut omnes ciues quantum fieri possit continentes et moderatos efficiat, uirtutumque omnium praesidio communiat, multis opibus humanis atque diuinis fulciendus est; ut id quod animo magno instituit, magna felicitate perficiat.

Vt autem primum de humanis opibus loquamur (quae tamen benignitate diuina continentur), omnes regum opes et facultates, quae summa industria conquirendae sunt, in bonorum hominum prudentia atque uirtute collocandas arbitror. Nec enim aliquis princeps ullo modo potest, uel in bello uictoriam consequi, uel in pace dignitatem tueri, uel in negotio callide uersari, uel in otio tranquillitatem retinere, qui non est bonorum comitatu circum[146]saeptus. Quomodo enim unis tantum oculis omnia quae sunt regibus animaduertenda prospiciet? aut unis tantum auribus omnium querelas exaudiet? aut una mente atque ratione de tot rebus quot sunt ad salutem reipublicae necessariae cogitabit?

Multi igitur sunt in regni administrandi societatem conuocandi qui sint regiarum uirtutum opibus illustrati, nempe iustitia, temperantia, fortitudine, grauitate, constantia, liberalitate et ea quae laudes omnes complectitur sapientia. Ii autem tanta prudentia sint, ut omnia diligenter explorent, et quae sunt euentura ex antecedentibus causis multo ante prouideant; tanta fide, ut nullo quaestu

aut emolumento a ueritate et officio deducantur; tanta uirtute, ut, nullu metu, quominus omnia quae salutem adferre possunt aperte dicant, impediuntur.

Multi enim quamuis recte sentiant et reipublicae consulere cupiant, ne tamen in principum offensionem incidant, uera et utilia suadere non audent. Vt enim aegroti saepenumero pharmaca salutaria, si fuerint acerba et iniucunda, aspernantur et respuunt, et earum rerum cupiditate capiuntur quae sunt sanitati ualde contraria, ita principes interdum animi morbis oppressi et impediti, ueritatis medicinam reiciunt et elaborata concinnitate mendacii falsaque dulcedine uanitatis alliciuntur. Ita uero fit ut, quamuis in principio uoluptate aliqua adficientur, aliquando tandem dolore et cruciatu poenas temeritatis et amentiae persoluant.

Vt autem nihil est ueritate diuinius, ita nihil excogitari potest reipublicae salutaris. Quod enim aliud discrimen est inter sapientes et insipientes homines, nisi quod sapientes uera bona magno sibi studio comparant, insipientes autem falsis rerum imaginibus elusi bona inania consecantur; et ita tandem dum falsos honores ambiunt falsasque uoluptates exquirunt, dedecoris summi notis inuruntur assiduisque flagitiorum et scelerum poenis excruciantur?

[148] Omnis igitur beatae uitae ratio ueritate continetur, tota autem miseria mendacio et inanitate conficitur. Quocirca omnes principes qui rempublicam saluam uolunt et suam dignitatem perpetuo retinere cupiunt, hoc prae se ferre debent, hoc uerbis atque rebus ostendere, sibi nihil esse luce ueritatis antiquius; sic autem bonos omni metu liberabunt et adulatorum impudentiam compressam tenebunt. Quod ut rectius assequi ualeant, opus est ut bonos atque ueritatis amatores opibus augeant et honoribus summis adficient, improbos autem et mentiendi et adulandi artifices longissime a sua familiaritate repellant omnique honore indignissimos esse putent.

Sunt enim adultores ueritatis hostes sempiterni, omnibus bonis infesti, regibus ualde perniciosi, neque solum in rempublicam uniuersam taeterrimi, sed in Deum ipsum maxime scelerati. Qui enim ueritatem oppugnat, ipsum summum rerum omnium Dominum, qui est summa atque sempiterna Veritas, oppugnat. Sunt igitur homines isti nefarii atque pestiferi, ab omni nobilitatis aditu, congressu, familiaritate prohibendi, atque adeo in ultimas terras exterminandi, ne sceleris contagio ad regum perniciem emanet totamque rempublicam mortifera tabe conficiat.

Contra uero qui nihil mentiuntur, nihil simulant, nullas opes uerae uirtutis opibus anteferunt uitamque sapientia atque probitate moderantur, ex abditis etiam sedibus, si latitant, eruendi sunt et inuiti etiam atque recusantes ad regum familiaritatem perducendi multisque opibus egregie cumulandi.

Magis enim propriae regum diuitiae sunt quae proborum hominum fidei committuntur quam quae in aerarium regis inferuntur. In aerario enim congestae inuidiam conflant; cum bonis autem communicatae regis nomen illustrent illiusque statum gratorum hominum fidelitate communiunt. Praeterea opes abstrusae atque reconditae possunt aut latrociniiis auferri, aut ministrorum perfidia dissipari; et in gratis animis memoria beneficii perpetuo infixae permanet neque potest ullius importunitate conuelli. Tum illud etiam considerandum est eos qui, non dolis atque fraudibus, sed uera uirtute ad regum familiaritatem peruenerunt, omnes eas opes quas a regibus habent, ad eorum fructum a quibus eas habent conferendas existimare; at qui per simulationem et industriae opes a regibus adepti sunt, cum omnia ad suum emolumentum [150] tum reuocent, simul atque maior species utilitatis eorum animis obicitur, principes deserunt et produnt et aliquando etiam oppugnant.

Vnde colligitur quam sint amentes omnes principes qui, neglectis bonis, opes et honores ad improbos deferunt, eorumque fidei suam dignitatem committunt qui prae sua cupiditate fidem sanctam habere non possunt.

At qui tantum sapientia ualent, ut eiectis improbis et sceleratis hominibus bonos asciscant et illos secum consiliorum et officiorum societate coniungant, praeclare saluti suas atque dignitati prospiciunt. Nec enim principem salus deserere potest ab illis qui fidem omnibus uitae commodis anteponunt, neque eorum dignitas aliqua dedecoris suspitione maculari, cum perspicitur eos esse honestissimorum hominum familiaritatibus implicatos. Vt enim nihil est quod maiore dedecore reges afficiat quam flagitiosorum hominum familiaritas et consuetudo, ita bonorum amicitia plurimum illis dignitatis et honestatis adiungit. Talem namque de illis opinionem concipimus quales ii sunt quibus eos deditos animaduertimus.

Vnde concludi potest non esse diuites atque potentes eos reges appellandos qui auri ingentes acruos, qui gemmas innumerabiles miro fulgore micantes, qui maximam uim eboris, qui plurima metalla possident, qui compluribus nationibus imperant, sed qui multos homines uirtute atque fide praestantes secum habent sanctissimo amicitiae foedere et bonorum omnium, quantum re-

giae maiestatis ratio pati potest, societate coniunctos. Illa namque omnia raro sine uirtute parantur, nunquam uero sine uirtutis praesidio retinentur; at uirtus reliquis opibus nudata dignitatem suam facile tuetur lucemque suam longe lateque diffundit. Praeterea diuitiae, si non sint uirtutis praesidio munitae, salutem dare non possunt, sed potius multorum cupiditatem irritant et incendunt, ut insidias illis qui diuitiis elati sunt saepe moliantur; at uirtus sine diuitiis saepenumero statum regum conseruat et imminetia reipublicae [152] pericula propulsat. Et haec quidem de humano praesidio dicta sufficiant: nunc ad diuinum consequens est ut ueniamus.

Si igitur tantum praesidium est in bonorum hominum probitate atque fide ponendum, ut sine illorum auxilio non possit regnum aliquod aut respublica diu salua consistere, quid tandem erit de ope diuina iudicandum? Deus enim est cuius numine, consilio, uoluntate, regna nascuntur, augentur atque retinentur; cuius mente atque ratione gubernantur; cuius ope et auxilio fulciuntur; cuius denique offensione labuntur et concidunt atque delentur. Princeps igitur qui uelit munere suo perfungi et sibi commissum imperium apte moderari, eam primum curam suscipiat opus est, ut religionem pure atque sancte colat assiduisque precibus opem a Deo imploret et statuatur omnem regni feliciter administrandi rationem Numinis placatione contineri.

Primum enim si sapientia regibus tam necessaria est, ut sine illa nullo modo possint aliquam reipublicae partem attingere quin omnia peruersa atque perturbata relinquunt, sapientiae uero lumen non aliunde ortum habet quam ab infinita illa et immensa Sapientiae luce et splendore mentisque diuinae claritate qua omnia reguntur et collustrantur, quid est regibus maiore studio procurandum quam ut toto animo in religionem incumbant et castissimis precibus Dei opem efflagitent? Quod si fecerint, ex illorum mente diuinae sapientiae claritas eminebit et uirtutis eximiae splendor orietur, ut non solum quid sit rectum, quid honestum, quid utile perspiciant et quantum uera bona a falsis intersint explorare cognoscant, uerum etiam omnia quae recta esse uiderint, constanter efficiant.

[154] Vtrumque enim diuina benignitas et gratia praestat. Clarissimum enim lumen humanae menti praefert et animum inuicto robore confirmat, ita ut minime labatur et erret, aut difficultatem gerendi muneris extimescat. Nec enim quidquam est tantis difficultatibus impeditum, aut tantis munitioibus obuallatum, quod non facile is qui est diuina uirtute praeditus expugnet.



Facillime igitur omnes animi motus ratione uacuos comprimet et cupiditatem continebit et omnes flagitiorum labes repellet animique statum ita honestatis luminibus illustrabit, ut admirabilis in illo uenustas <et> pulchritudo diuinaeque mentis effigies enitescat. Fieri enim non potest quin is qui Deum, quoad licet et fas est in hac uita, puris oculis intuetur et illam praecellentissimam speciem et pulchritudinem assidue contempletur, amore illius inflammetur totumque animum ad illius imitationem effingat; maxime uero, cum eam imitationem et similitudinem non tam studio et contentione sua, quam illius gratia et beneficentia consequatur. Ex hac autem animorum cum diuina mente similitudine, sempiternum amicitiae foedus existit quod Deum ita cum humana mente copulat, ut omnia sua bona liberalissime cum animo casto et religioso communicet. Illam igitur et consilio instruit et uirtute corroborat, praesidio saepit et in omni rerum discrimine praesenti numine protegit.

Hac igitur fiducia erecti, qui uerae pietatis studio incensi sunt, quamuis omnis bellis ardeant et terra ingenti motu tremefacta dehiscat, nunquam animos demittunt, sed tum uel maxime diuinum sibi auxilium adfuturum confidunt et, in summa rerum omnium desperatione, ad firmissimam spem salutis atque dignitatis eriguntur. Vnde colligitur, cum tanta sit humanae naturae imbecillitas et tanta in rebus fluxis et interituris inconstantia, omnisque uita sit periculis exposita, in illis solis posse magnitudinem animi atque uirtutis inuictae fiduciam reperiri qui se Dei praesidio munitos esse considerant.

[156] Cum igitur nemo regium munus obire sine admirabili sapientia, sine egregio dignitatis exemplo, sine roboris inuicti constantia possit, et nulla ex istis laudibus e terra nascatur, sed omnes e Caelo diuinitus oriantur, constat certe omne regis officium esse in religionis sanctissimam rationem conferendum. Soli namque sapientes et moderati et fortes habendi sunt qui Deo, totius sapientiae et honestatis atque uirtutis principe et architecto, sunt purissimae religionis foedere deuincti.

Quid uero de iustitia dicendum est? Poteritne eam colere, nisi qui mentem in uim et rationem sempiternae legis intenderit et totius iuris et aequitatis originem cogitatione comprehenderit, et ordinem et conuenientiam (qua summus ille Rector omnia gubernat) uigilanter inspexerit, atque postremo qui sese toto animo ad studium diuinae legis applicuerit? Nullo modo. Deus enim solus est uis, mens et ratio legis, iuris fons et aequitatis origo totiusque iustitiae parens, cuius numine leges omnes reipublicae salutares

et commodae sanciantur et cuius ope atque beneficio conseruantur. Vnde sequitur ut illi solum iustitiae splendore coluceant qui in illud summum atque sempiternum iustitiae lumen inspiciunt.

Ex hac autem animorum conformatione qua homines Dei iustitiam imitantur omniaque studia sua ad communem utilitatem conferunt, benignitas et hominum caritas exoritur; inde lenitatis et mansuetudinis laudes existunt; inde postremo omnis dulcedo uerissimae uoluptatis atque iucunditatis emanat. Nec enim ulla corpore percepta uoluptas est cum ea uoluptate quae ex uera honestate percipitur aliqua ratione comparanda. Corporis enim uoluptas plerumque furenter appetitur et momento temporis effluit, maestitiamque deinde inurit et dedecus impressum relinquit. At ea uoluptas quam uera uirtus efficit, et sapienter exquiritur et constantissime retinetur et nulla aegritudine contaminari aut flagitio deformari potest, cum sit ab omni labis contagione pura et cum eximii decoris amplitudine copulata. Ex quo sequitur uitam eorum qui cum Deo amore coniuncti sunt, non solum esse [158] diuinae uirtutis ornamentis excultam opibusque summis adfluentem et ad spem firmam gloriae immortalitatis excitatam, sed etiam pura et constanti et eximia uoluptate atque iucunditate refertam. Licet igitur cum rege illo sanctissimo exclamare. «Quam magna multitudo dulcedinis tuae, Domine, quam reseruasti diligentibus te!»

Haec igitur omnia bona quibus suscepti in maximae uirtutis exercitatione labores leniuntur et admirabili quadam suauitate compensantur, continet in se religionis studium, sine quibus imperium administrari nequi.

Tum etiam illud quantum est omnes enim subditi qui non fuerint immanitate quadam sceleris efferati eos reges, qui religionem pie coluerint, neque mediocriter amabunt neque mediocre illis fidem adhibebunt? Fieri enim non potest quin diuinae pulchritudinis imago in oculis hominum constituta mirabiles amores excitet et omnium uoluntates ad se incredibiliter alliciat, nemoque animum inducet ut credat eum qui Deum metuit et illi ualde placere cupit, fidem uiolaturum.

Ergo, partim quia intellegunt illum esse diuinae sapientiae monitis et consiliis eruditum et in studium communis utilitatis acriter incitatum, partim quia illius bonitati minime diffidunt neque fieri posse suspicantur ut is commodi sui gratia communem utilitatem neglegat et fidem et officium prodat, ei libenter adquiescunt nec imperium illius aliquo modo recusant. Quod si neque regnum neque ciuitas neque domus ulla sine imperio constare potest,

imperium autem religionis puritate sancitur, nihil profecto religione utilius atque salutaris ad hominum multitudinem continendam excogitari potest.

Quid enim est quod imperium magis firmare ualeat, eo principis studio omnibus perspecto et cognito, quo omnes suas curas et cogitationes in reipublicae salutem confert? Sic enim fit ut respublica illum admiretur et diligit et summa uoluntate omnibus illius iussis obtemperet. Aliter enim non diu imperium illius sequetur, sed ut eum excindat quantum potest elaborabit. Nullum [160] enim imperium suspectum et inuisum, neque tam uirtutis opinione confirmatum quam suppliciorum formidine munitum, poterit esse diuturnum. Quod si concordia rempublicam conseruat et auget, discordia uero eam dissipat atque comminuit, hanc autem concordiam ciuium inter ciues, principis religio rebus explorata conglutinat, omnes enim summa consensione principi religioso parent imperioque illius libenter astringuntur, in ea certe constat esse summum firmamentum reipublicae collocandum.

Tum illud etiam minime contemnendum est, quod nec improbi ciues tanta confidentia illi principi insidias parant quem diuino praesidio uallatum existimant, neque hostes ita facile bellum contra illum suscipiunt quem auxilio diuino constipari suspicantur. Si autem dolos instruunt aut bellum comparant, id tamen titubanter et timide faciunt, ita ut facile scelerati ciues, uel manifesto deprehensi poenas sceleris exsoluant, uel iniecto metu a facinore reuocentur et hostes etiam facillime a belli gerendi cupiditate discedant. Cum eis namque libenter foedera iungunt quorum in bello uirtutem metuunt, in pace autem fidem diligunt, et ne foedus rite percussum uiolenter minime pertimescunt.

Postremo cum omnis respublica principum mores imitetur, necesse profecto est ut, si princeps fuerit egregius pietatis atque religionis cultor, uniuersa respublica sese eadem religione constringat. Religio autem cupiditatem refrenat, petulantiam comprimit, insolentiam frangit, temeritatem et audaciam coercescit, hominesque modestos reddit et legibus atque legum custodibus obsequentes. Nihil est enim ad continendam cupiditatis immoderationem et reprimendam iactationem atque leuitatem metu Diuini Numinis efficacius. Cum enim cogitamus quam simus illius summi Domini et Parentis optimi beneficiis obstricti et quanta supplicia sint illis constituta, qui decus animi sui flagitio et impuritate contaminant, mente recolimus, et intellegimus nullas esse latebras quae aspectum diuinae mentis impediunt, cum etiam ea quae terrae uisceribus inclusa sunt et Tartareae plagae sempiternis

tenebris occuluntur illi pateant atque dilucescant; cum haec, inquam, omnia nobiscum [162] reputamus, partim ne aut turpitudinis offensione illius oculos uiolamus, aut nos ingrati animi scelere, quo nullum grauius esse potest, astringamus, partim ne statum nostrum prodamus et sempiternam nobis ipsi pestem flagitio nostro machinemur, cupiditati resistimus diuinoque praesidio firmati clarissimam uictoriam de temeritate deuicta atque profligata consequimur. Nec enim unquam illi qui Dei iudicia metuunt et illius offensionem uerentur, sunt ab illius ope derelicti. Illius igitur ope defensi facillime omnem cupiditatis impetum a rationis arce repellunt.

Compressa igitur et edomita cupiditate, non erit difficile seruire officio et dignitati omniaque uirtutum munera sustinere. Quis enim a se turpitudinem repellit, nisi is qui summam illam atque sempiternam honestatem et diuinae pulchritudinis decus et elegantiam puris oculis intuetur? Quis iustitiam sanctissime colet, nisi qui modum et ordinem et conuenientiam, quo cuncta a summo Rege temperantur suisque in locis aptissime collocantur et muneribus illius praescriptione distributis funguntur, ratione considerat? Quis pericula uitae contemnet et in acie pro iustitiae sanctitate et reipublicae salute fortiter et strenue dimicabit, nisi is qui sibi diuinum auxilium minime defuturum esse confidit; et quamuis in acie cadat, intellegit se minime a Deo esse derelictum, sed potius sibi pro breui et exigua uita sempiternam reddendam esse, in qua omnibus summis bonis in sanctorum consortio perfruatur?

Si igitur religio in pace homines efficit modestos atque temperatos et inter se consensione mirifice conspirantes et legibus atque principum iussis libenter et studiose parentes, in bello autem diuina quadam uirtute corroborat et studio immortalitatis incendit, usque adeo ut libentissime sanguinem atque uitam Patriae largiantur, ut in Caelum euolent, nonne satis liquet omnem regis, qui officio suo satisfacere uehementer expetit, curam et cogitationem esse in religionis studio ponendam? Sic enim omnium uirtutum opibus et ornamentis magnificentissime redun- [164] dabit et gloria ingenti nullis unquam saeculis interitura circumfluet, praesidiisque diuinis in omni rerum discrimine muniatur, suorumque sibi beneuolentiam egregie conciliabit, et ex tantorum bonorum recordatione ingenti gaudio cumulabitur; neque solum ipse beatus erit, sed sibi permissam rempublicam reddet eiusdem felicitatis atque beatae uitae participem; in quo quidem est regis munus et officium constitutum. Quod enim est aliud reipublicae principi munus assignatum quam ut rempublicam florentem atque

beatam faciat? Quod quidem nullo modo sine egregio pietatis cultu et religionis sanctitate perficitur.

Sed quo magis religio omnibus uirtutibus praestat (omnes enim ex illa oriuntur et eiusdem complexu et gremio continentur), eo magis metuendum est ne impietas in nomen pietatis atque religionis inuadat et per simulationem sanctitatis omnes sanctitates euertat. Cum enim nihil sit magis aduersarium uirtuti quam uirtutis assimilatio, tum id in ficta religione apparet facillime, nam scelus immane, nomine pietatis quasi quodam integumento fraudulenter inuolutum id suscipit, ut omnem religionem deleat atque memoriam Numinis caelestis extinguat.

3. Hoc in loco, Princeps Amplissima, ualde prudentia tua mihi opus est.

Cum enim sis tantis curis implicata, ut per te nequeas ullo modo insidias uitare et tantum periculum quantum tibi et omnibus christianis intenditur ratione praecauere, et cum in hac una re praecipue muneris tui summa consistat ut religionem purissime colas, ut sis diuino praesidio cincta commissumque tibi Regnum cum summa felicitate tuearis, nihil gratius tibi debet esse, in tanta religionis dissensione, quam ab homine tuae dignitatis cupidissimo et ab omni cupiditate nefaria remotissimo et minime uerae religionis ignaro de tantis rebus admoneri. Hoc enim tibi adfirmare possum, me, si ingenio et humanitati tuae diffiderem, nunquam ad has litteras scribendas accessurum fuisse. Summae namque temeritatis esset id de quo spem prorsus abiecissem curare uelle.

[166] Sed cum ingenium, litterae, humanitas, indoles et reliquae laudes quibus abundas, in magnam me spem magni tui decoris atque dignitatis impulissent, et cum intellexerem id quod erat in tuo regno de religionis sanctitate detractum non esse tibi, sed multis hominibus qui omnia iuris atque religionis claustra, nescio qua amentia uexati, reuellere conantur assignandum, quod autem non omnis religionis cultus interierit tuae clementiae et pietati tribuendum, meam orationem tibi minime iniucundam fore confido.

Quocirca te quantum possum oro et obsecro, primum quidem, ut hos meos conatus in bonam partem accipias, quod certe facies, si qualis sit in te animus ex quo haec omnia depromuntur inspexeris; deinde ne, priusquam omnia quae his litteris mandare constituo perlegeris, quidquam de illarum uel sapientia uel temeritate praeiudices; postremo te Christi optimi maximi fidem obtestans deprecor ut, si quam opinionem ueritati contrariam aliorum fraudibus inducta comprehendisti, si eam recta ratio

## ÍNDICE GERAL

### PARTE III

### TEXTO LATINO

EPISTOLA HIERONYMI OSORII AD SERENISSIMAM ELISABETAM, ANGLIAE REGINAM .....	9
<i>Serenissimae Elisabethae, Angliae, Franciae, Hiberniae Reginae, Hieronymus Osorius S. P. D.</i> .....	11
G. HADDONI LEGVM DOCTORIS, S. REGINAE ELISABETHAE A SVP- PLICVM LIBELLIS, LVCVBRATIONES .....	51
<i>Gualterus Haddonus Hieronymo Osorio Lusitano S. D.</i> .....	53
EPISTVLA REVERENDI PATRIS DOMINI EMANVELIS DALMADA EPISCOPI ANGRENSIS, A CONSILIIS SERENISSIMI DOMINI SE- BASTIANI, PORTVGALLIAE ET ALGARBIORVM REGIS .....	75
<i>Serenissimae dominae Mariae, serenissimi felicitatis memoriae Eduardi infan- tis Portugalliae et infantis dominae Elizabethae filiae, bonae memo- riae regis Emanuelis et reginae Mariae nepti, Parmae et Placentiae principi: Emanuel Dalmada, episcopus Angrensis, utriusque uitae prosperos ad uota successus</i> .....	79
<i>Epistula reuerendi patris domini Emanuelis Dalmada, episcopi Angrensis, a consiliis serenissimi domini Sebastiani, Portugalliae et Algarbio- rum regis, aduersus Epistulam GVALTERI HADDONI, serenissimae reginae Angliae a supplicum libellis, contra reuerendi patris domini Hieronymi Osorii lusitani, episcopi Siluensis, Epistulam, nuper editam</i>	82
AMPLISSIMI ATQVE DOCTISSIMI VIRI DOMINI HIERONYMI OSORII, EPISCOPI SILVENSIS, IN GVALTERVM HADDONVM, MAGIS- TRVM LIBELLORVM SVPLICVM APVD CLARISSIMAM PRIN- CIPEM ELISABETAM, ANGLIAE, FRANCIAE ET HIBERNIAE RE- GINAM, LIBRI TRES .....	229

<i>Hieronymi Osorii, Episcopi Silvensis, in Gualterum Haddonum, Magistrum Libellorum Supplicum Apud Clarissimam Elisabetam, Angliae, Franciae, Hiberniae Reginam .....</i>	231
<i>In Eundem Gualterum Haddonum .....</i>	287
<i>In Eundem Gualterum Haddonum .....</i>	346
CONTRA HIERONYMVM OSORIVM EIVSQVE ODIOSAS INSECTATIONES PRO EVANGELICAE VERITATIS NECESSARIA DEFENSIONE RESPONSIO APOLOGETICA .....	399
<i>Serenissimo, Clementissimo Principi, Lvsitaniae Regi, Sebastiano, Cum Omni Felicitate, Salutem in Christo Optimo Maximo Sempiternam Pio Lectori Gualterus Haddonus Salutem In Christo Iesu .....</i>	401
<i>Ad Hieronymum Osorium Saevasque Illius Invectivas Gualteri Haddoni Responsio .....</i>	409
<i>Ad Ea, Quae Inchoata Reliquit Haddonus Contra Osorii Nugas, Continvata Responsio .....</i>	411
<i>Ad Ea, Quae Inchoata Reliquit Haddonus Contra Osorii Nugas, Continvata Responsio .....</i>	530